

Threnodia,

Super

Immatureo obitu

JUVENIS

Per-Eximii atque Ornatissimi

**JO. FRIDERICI
HAUENSTEINI,**

ipso exequiarum die

qui est 21. M. August. An. 1709.

Luctus & debiti Honoris ergo scripta,

a

PRIMAE CLASSIS AUDITORIBUS.

Interprete

JO. FRIDERICO SERNERO,

Thor.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.
TYPOGRAPHUS.



Heu! dira lues, loca per Conter-
mina nostrae

Urbis grassatur, pestilitate sua.
Nec non continuo sumunt con-
tagia vires,

Ac tradunt hominum corpora mille neci.
Nec tamen est morbo modus ac medicina
veneno,

Sed vicina domus tabe fluente domum
Vicini viciat; pariter quoque corpora Morti
Tradit, quae spaciens omnia falce metit.

Nec contenta tamen tam multis esse videtur,
Sed studet ut plures falce furente metat.

Haec ingressa quoque est ingentia moenia nostra
Ac etiam quosdam surripiebat atrox.

Lethifero quidem non æstu, (quem Deus almus
Longius à nobis arceat atque ferat,)

Attamen ex sanguis vario morbi cruciatu
Omnibus obscuras iniicit illa manus.

Ex his & Juveni, quem nos jam contumulamur
Ac ipsi tristes exequias facimus.

Omnigenae fuit hic Juvenis virtutis imago,

Perque malam vitam scandala nulla dedit.

Si Pietatis opus spectes? nulli Pietate

Moribus atque bonis ille secundus erat.

Turpi-

Turpibus hic ausis animum non commaculabat
Nilque erat huic vera religione prius.
Mittebat gemitus coeli ad sublimia templa,
Laudabatque pia simplicitate Deum.
Religiosa Dei visebat limina summi
Excepitque avido pectore verba Dei.
In Praeceptores fuit haud Pietate minori,
Annuit in quovis Imperio ac monitis.
Quid vero dicam de summa sedulitate?
Haec ipsum sedulum duxit ad omne genus.
Nil fecisse ratus si quid superesset agendum,
Cuncta ideo fovit sedulitate bona.
Nil fuit huicce prius, quam doctas visere Musas,
Atque peritorum voluere scripta Virum.
Et quis Virtutes, quibus excellentior Ille
Evasit multis, enumerare potest?
Sufficiat dixisse mihi, quod semina cuncta
Virtutum Hic Unus continuit Juvenis
Tandem decreto divino mortuus Ille.
Praeclarus Juvenis, Patris imago sui.
Luctibus indulget tristissima biga Parentum,
Morteque commota hac, paria fata cupit.
Nec minus in luctus animos dant quique do-
centes,
Privati quod sunt, ingenio docili.

Intem-

Intempestivam mortem lugemus & omnes,
Eius enim semper sancta fides fuerat.
Ast absit luctus! nulli scit parcere fatum,
Nullius est, nec erit, mors superanda, manu.
Praecessit nobis, & nos hinc ibimus omnes,
Omnes sub Leges mors vocat atra suas.
Hic est iam superae donatus sedibus aulae,
Altius humanas despicit unde vices.
Huic promissa manent aeternae praemia vitae,
Eius adest capiti pacta corona poli.
Verum nos eius signamus carmine saxum,
Atque Viatori haec ultima verba damus.
Siste Viator! in hac crypta jacet, ecce! sepultus
Ingenuus Juvenis, flos, Pietatis amans.
Hic est, quem studiis coluit doctissima Pallas
Hic fuit ornatus, moribus ingenuis
Sed tu, qui transis, cum legeris ista, Viator,
Adiice: Jam Pyladis molliter ossa cubent.

